

pestate eo usq; increuerant: ut apud accolas siquid diffensionis oreretur: haud parum haberetur momenti: utras partes sequerentur: Hoc in bello imperatoria signa semper secuti sunt. Prima illis fuit cum Bellisario imperatorio duce apud Rauennam expeditio: Quae post diurnam obsidionem in deditionem una cum Vitigite rege est recepta. Nam quum Vitigis a Bellisario omnibus pene Italiae terris exclusus: Rauennam sese recepisset: cum delecto Gotthorum principum militumque robore: Expugnationem autem Bellisarius desperaret: Praepotentis & munitissimae urbis: fame extremo obsessarum urbium malo ad deditionem compellere adortus est. Terra quidem importari nihil poterat Quum hostis bellisarius circum omnia militibus teneret. Mare uero infestum reddiderant Imperatoriae classes: ut nihil nisi furtim inferri posset. Et longe minus quam tanto alendo populo: sufficeret. Ariminum praeterea & Ancon proxime a dextra urbes: partium erant bellisarii: ad eam arcendam inuectionem apprime accommodae. Aleua padus restabat: & Veneti. Tenebant uero tum Veneti: ut supradictum est paludes omnes ab Aquileia ad usque padus stagnum Rauennae propinquum. Et ab ea parte diligenti custodia seruabatur. Ostium erat reliquum Rauennae proximum nunc primarium appellatum: olim spineticum ab urbe Spina iuxta posita atque (ut Plinio placet) a Diomede condita: Cuius etiam uestigia nunc uisuntur. Illud erat in hostium praetere: atque inde trans padanum Gotthorum urbes frumentum & omnis generis comestus secundo flumine obsessis subministrabant. Ad eam inuectionem prohibendam excogitat in primis Bellisarius firmare milite fluminis ripas. Euocat deinde a Venetis naues aliquot ad id quod meditabatur aptas tam mari: quam fluminibus: Quibus per assiduam maris & fluuiorum consuetudinem abundare eos intelligebat. Agiles & acturias: Alueis neque planis omnino: neque omnino obesis: ut undam fluctumque faucis: quem maritima aura ciet: in harenarum cumulos incurfans facile omni cum aestu superare possint. Facit. n. natura: ut in quo quisque maxime se se exerceat: in eo quoque excellat. Tabulatis deinde circumquaque obsepiri ac muniri iubet ad missilium ictus: his mandat: ut pars aduerso sursum flumine feratur ad descensum hostilium: nauium perturbandum impediendumque: Alii uero obseruent fluminis hostium: ne quid inferri a mari liceat, Vitigis rex & oppidani: mox ut instructae naues apparuere ad fluminis ostium. Desperatam pene rem gotthicam existimant: nisi alio remedio restituatur: Admonent Gotthos: qui apud Ticinum agebant: quo in statu sit Rauenna Vitigisque. Exemplo ipsi quoque cognito periculo adoriuntur per extrema omnia & obstantia transitum perumpere. Itaque non iam singulis nauibus uehi permittunt cibaria: Sed confecta nauigiorum fluuiialium quam maxima possunt classe: aliquas praecedere iubent bellico apparatu instructas: alias classem subsequi. Onerarias in medium collocat. Sic apparebat tutam comestuum delationem fore. Sed nimirum